DOCTOR

LVDOVICVS PEREZ RAMIREZ MEDICVS HISPAlenſis, & in Hiſpalenſi Vniverſitate primarius medicinæ profeſſor.

Doctori Ioanni de Saavedra inſigni medico, & in eadem Vniverſitate, quondam primario profeſſori.

Difficultas controvertenda.

An. erumpentibus iam morbillis liceat venam ſecare.

ECCE IAM CALAMVM ACCIPIO (gravis admodũ, & erudite Doctor) ecce iam calamum accipio, á proprio more recedens, coactus quidem, & laceſitus, & ab honore compulſus, aliter enim, nec illi, nec pudori meo facere ſatis arbitror. Me enim tacenrem, non modò in ſcriptis, verum & coram amicis alta voce, iterum atque iterum ad loquendum provocaſti. Accipe ergo, quod ex poſtulaſti, non vulgari autem ſermone, indecens enim ſemper iudicavi, quòd gravia, & difficilia noſtra, & tanquã oracula veneranda per inſipientium, & vetularum manus non ſine irriſione, & magno noſtræ artis dedecore, incedant ad rem ergo deveniẽdo noſtra difficultas eſt, an erumpentibus morbillis vena ſecanda ſit.

Ante huius tamen difficultatis deciſionem aliqua apprimè

apprime necessaria notanda præmittam; primum est inquirere, quid sit morbillus, & quomodo fiat. De hac re Avicena solum asserit, morbillum variolam esse cholericam, quód si ad caput 5. de variola, eiusdem authoris recurrimus, ut natura variolarum cognita, morbillorũ inde naturã cõperiamus, ipse quidẽ variolæ naturã diffinitione cõprehẽsam tacuit. Quare ex diffinitione, Avic. nihil ferè utile ad morbilli naturã cognoscẽdã depromi potest. Qua ratione nobis aliter in morbilli natura statuẽda procedere liceat. Cũ tamẽ in morbillo inveniatur febris, & præter hanc inflammatiunculæ quædam parvæ admodum per totam cutim reperiantur, videndum est prius ante diffinitionis positionem, quid per morbillum intelligendum sit, febris ne an inflammatiunculæ. Ego quidem utrumque in morbilli natura comprehendi existimo, febrem in quam & inflammatiuncnlas, ad indagandam enim alicuius rei naturam, qualiter illa secundum communem hominum consensum accipiatur, inspiciendum est, veluti in morbi natura inquirenda fecit Gal. & cum omnium hominum consensu neque febris absque inflammatiunculis, neque inflammatiunculæ absque febre, sed ambo simul morbillus appellẽtur, ideo utrumque in morbilli natura contineri tenendum est. Quò fit, quod hic affectus non simplex, sed compositus sit, ideo iuxta hanc rationem morbilli diffinitionem trademus.

Avicen. fen.1. 4. tracta.4. 8.

Gal. libr. de divin. morb.2.

Est igitur morbillus febris continẽs ex sanguine putrido producta cum certa quadam malignitate, ad quã sequuntur inflammatiunculæ minutæ, ac parvæ in cute erumpentes, per resolutionemque terminatæ. Hæc diffinitio optima apparet, constat enim debito genere, & differentia, & totam morbilli naturam comprehendit, quæ ut dilucidetur, illius partes exponere oportet.

Prima

Prima particula exponenda est, morbillus est febris continens, in quo quidem (clarissimè Doctor) á tua dissentio sententia, statuis enim in tuo 1.tractat. fol.2. p.1. morbillum esse febrem continuam accesionalem, quam plurima enim me movent, ut existimem huiusmodi febrem continentem esse ex sanguine ortam. In primis experientia ipsa testatur, siquidem feré in omnibus hac febre correptis nullæ inveniuntur accesiones præter eas, quæ aut ratione horarum diei, aut somni, aut alimenti assumpti contingere solent, quod iam aliquos decepit, ut continentes iudicent accesionales. Præterea hæc febris eos adoritur non modò facilius, verum & gravius etiam, qui secundum ætatem, & temperamentum sanguine abundant, corripit enim cõmuniter pueros, in quibus sanguis ex superat, & ex ijs illos potissimum, qui sanguineo sunt temperamento, & plethorici existunt. Hoc autem evidens me hercule est nota, quód hæc febris ex sanguine oriatur, at ex sanguine nullam nisi continentem procreari posse, omnis tenet Medicorum schola. Vlterius accidentia, quæ hanc febrem commitantur, continentem esse, quasi digito ostendunt, magnus enim totius corporis calor, mediocriter acris, rubor faciei, & universæ cutis, delatio in somnum, urina rubra, & crassa (quando hæc inspici potest, ut in adultis) & hæc absque siti ingente, & linguæ siccitate, quid aliud nisi continentem putridam indicant?

Scio te (gravissimè Doctor) causam tradidisse ob quam licet morbillus producatur ex bile, & non ex sanguine siti careat, & linguæ siccitate. Dubitas enim in tuo primo tract.fol.2.pag.2.cur si in morbillis, æqualis aut intensior quam in febre ardente, reperitur calor, & utraque ex humore bilioso fiat, in illis non adsit magna sitis, & linguæ ariditas veluti in febre ardẽte inveniun-

tur? & respondes, in febre ardente intensio rem esse putredinem cuius ratione illa excitantur symptonata in maiori intensione.

Quàm tamen laboriosa sit hæc à te tradita solutio, hæc si legas, facilè assequeris, in primis remisam, aut nullam in morbillis admittis putredinem cum potius intensa in illis reperiatur, ut infra ostendam. Secundo in febribus putridis intensio caloris sequitur intensiouem putredinis, si putredo est remisa calor est remisus, si intensa, intensus (saltem secundum aliquam rationem) qua ergo ratione febris morbillorum intensior potest fieri á remissa putredine, & febris ardēs remissior excitatur ab intensa putredine? Tertio concedatur in febre ardente intensiorem esse putredinem, adhuc falsa est solutio, nam putredo non causat sitim, neque inducit siccitatem nisi ratione caloris, ergo qualis fuerit calor putredinis, tales erunt sitis & siccitas, sed calor bilis putridæ in febre ardēte æqualis est, aut remisior calore febris morbillorum, ergo aut æqualem, aut remisiorem sitim & siccitatem poterit inducere.

Sed in loco citato aliam insinuas solutionem, videlicet, quod bilis ratione putredinis acrior redditur, cum efficit febrem ardentem atque ideo ob acrimoniā causat siccitatem, & sitim.

Neque hæc solutio quidquam valet, nam acrimonia in humoribus acquiritur, aut ratione intensioris caloris, aut ratione intensioris siccitatis, primum constat ex doctrina Gal. 9. simp. dicentis, tantum in esse scito caliditatis, quantum & acrimoniæ, secunda causa constat ex eodem, lib. 2. de temp. in quo loco licet æqualitatē intensionis statuat in iuvenum, ac puerorum calore, iuvenum tamē acriorem esse affirmat ob intensiorem eorum siccitatem, bilis autem cum in febre ardēte putrescit

Galen. 9. simpl. de terra lat.
Gal. 2. de temp. 2.

cit neque fit calidior, neque ficcior; ergo neque poteſt fieri acrior, quod non fiat calidior, quam in febre morbillorum, conſtat, ſiquidem non cauſat febrem intenſiorem, ſed aut æqualem, aut minorem: quod non fiat ſiccior, etiam patet, nam omnia, quæ putreſcunt redduntur humidiora, ut docet Ariſtoteles; ergo cum bilis in febre ardente, neque fiat calidior, neque ſiccior, non poteſt fieri acrior. Qua ratione in hoc dubio exponendo, alia via tibi incedendum erat.

Ariſt. 4. morb. 1.

Hanc noſtram ſententiam affirmantem morbillorum febrem ſynochum eſſe ex ſanguine amplectuntur graviſsimi authores, ut Holerius, Ioannes Hucherius, Mercatus, Mercurialis, & alij.

Hole. lib. 2. de cura febr. cap. de exanthematib. &c.

Cæterùm contra nos videtur eſſe experientia conſtat enim plures morbillorum febres eſſe acceſsionales, aut hoc modo incipientes, aut continentibus ſupervenientes.

Hucheri⁹ de diata puerorum c. de var. & morb.

Ad hoc reſpõdeo de ratione morbilli eſſe habere fēbrē cõtinentē ex ſanguine, eó quod qualitas maligna in morbillis reperta ſemper ob analogiam ſanguinem inficit, ac putrefacit cũ verò acceſsiones in morbillis cernuntur, hoc accidit per accidens ratione, alterius febris cum continente complicatæ, aut ſimul cum illa incipientis, aut poſtea ad illam conſequentis. Videtur tamen ſolum eſſe acceſsionalis, quia ratione acceſsionũ continens occultatur, re tamen vera continens reperitur, veluti quando aliqua febris continua cum intermittente combinatur, túm temporis intermittens adeò occultatur ratione continuæ, quód Gal. hanc miſtionem difficillimam vixque explorabilem, iudicet. 2. de criſ. 7. re tamen vera febris intermitens invenitur.

Mercurialis proprio cap.

Mercatus proprio c.

Nec mirum videri debet, quod febris continens poſſit complicari cum continua acceſsionali, nam licet in utraque

utraque febre humor intra venas putreſcat,in cõtinente tamen in omnibus, aut in maximis vaſis hoc fit authore Gal.in continua verò in venis minoribus, veluti in intermittente extra venas, ut docet Gal.2. de criſ. & 2. de differ.feb. nõ enim alia ratione in continuis fiunt acceſsiones niſi ex maioribus venis ad minores detruſis humoribus. Rectè ergo fieri poteſt, quód ſanguine putreſcente in vaſis maximis, aliqua humoris portio per circuitus ad minora tranſmittatur inde effectura acceſſionem. Atque ideò bene complicari poſſunt cõtinens, & acceſsionalis. Præterea quando incipit febris continens,& poſtea conſequitur febris acceſsionalis,ſanguis ille putridus in venis maximis exiſtens, febrem putridã excitabit non intermittentem,ut patet, non acceſsionalem ſiquidẽ neque ex ſanguine fit febris acceſsionalis, neque putreſcit in venis minoribus,quemadmodum ad acceſsionales requiritur,erit ergo cõtinens.Quarè poſſe complicari continentem febrem, & acceſsionalem, veluti in noſtro caſu contingit, non eſt dubitandum.

Galen.9. Matth.3. 5.et mor. 4. 2. de criſ. cap. 3.6. 12. 2. de duis feb.3.

Dignum tamen eſt animadverſione, quód quando combinantur huiuſce modi febres,acceſsiones nõ fiunt in diebus, in quibus ſeparatur humor ad venas minores,quemadmodum cõmuniter in acceſsionalibus accidit,ſed acceſsiones,ſeu maiora febris incrementa in diebus,in quibus humor non ſeparatur,contingunt,remiſſiones autem eveniunt in quibus humor á maioribus vaſis ad minora ſecernitur & ſeparatur,huius autẽ eventus ratio eſt, nam quo humor magis diſtat á corde, eo remiſsiorem febrem producit, ſed quando humor ſeparatur ad vaſa minora, magis inde diſtat á corde, quam dùm in maioribus continebatur, ergo quando humor ſeparatur ad venas minores,remiſsiorem febrem producet,quã dum in maioribus exiſtebat, ac per conſequens

in

in diebus separationis humoris fiēt remissiones in alijs verò incrementa. An tamen hoc aliquid ad curationem utile adducat, ex eo quòd utilius sit in hoc febrium cō-plexu, in diebus maioris incrementi venam secare, quia facilius humor peccans extrahetur, videant docti.

Ex hac doctrina cōstabit ratio, quare febris puncticularis interdum, soleat incipere cum circuitu quartano, licet veré quartana non sit, nam quando hæc febris est continens, & complicatur statim ab initio cum tertiana continua, cum tertio die ab in vasione febris separetur humor, remittitur febris, & in quarto sequente cum nō separetur, iterum intenditur, & ex acerbatur febris, & videtur accessio primo diei per circuitum quartanum correspondens, & Gal. 3. de cris. istum quartanum circuitum in continentibus cognovit asserit enim: *Synochi quidem raro eveniunt, & ubi nullis fit error, in quarto finiuntur per crisim, natura proprijs circuitibus ad crisim perveniēte, &c.* Ecce Gal. synochum in quarto finiri docet, quia in illo proprius est synochorū circuitus, intelligatur tamē Gal. de synocho complicato cum accessionali biliosa, nam simplex nullam habet accessionem, nec circuitum signa autem hanc febrium combinationem ostendentia, sunt quod signa utriusque febris per mista reperiuntur, & ea ratione potissimum dignoscendam iudico, quod in accessionalibus simplicibus, febriū remisio solet esse notabilis, eo quod febris tum temporis accendatur, ex reliquijs humoris in venis minoribus post accessionem derelictis; cum verò simul cum cōtinente reperiuntur in remissione vehemens invenitur febris, utpote quæ continens sit. *Gal. 3. de cris. 4.*

Sequitur postea in diffinitione ex sanguine putrido producta cum certa quadā malignitate. In quibus verbis ostenditur hanc febrem esse sanguineam, putridam,

& ma-

& malignam. Priús tamen de malignitate dicamus, ab hac enim reliqua dependent. Quód tamen morbillorũ febris maligna, ſit propriè quidem per participationem malignæ qualitatis, oſtendunt ſymptomata, quæ hanc febrem commitantur, omnia enim malignitatem indicant. Ex contagio inſuper hoc evidenter cognoſcitur, non levis enim hanc febrem contagionis eſſe participẽ, experientia tuos docet, & Avicena Fracaſtorius & alij dixerunt, tantam autem ſine malignitate illi in eſſe cõtagionem non eſt credendum. Hæc tamen maligna qualitas, quæ morbus non eſt, ſed morbi cauſa, non a primis neque á ſecundis qualitatibus immediatè oritur, ſed à peculiari certaque forma dimanat tanquam potentia illius generativa, quæ aliam formam ſimilem generare, ſui muneris eſt. Quó fit, quod iſta qualitas, veluti, & quælibet alia potentia generativa miſtorum, non poſſit generare immediaté aliam qualitatem ſibi ſimilem, quia ex ſua natura non eſt, data niſi ad ſuæ formæ generationẽ. Qua ratione cum audio aliquos aſſerentes dari febrem malignem abſque putredine, eo quòd dicunt qualitatem malignam poſſe producere aliam qualitatẽ ſibi ſimilẽ in ſubiecto non putrido, vix riſum contineo.

Avicen. fen. c. 4. tracta. 4. cap. 5, Fracaſto. lib. 2. de morbis, capit. 2.

Maligna autem qualitas cum formam non poſsit generare, quin diſpoſitionem ad illam requiſitam priús producat, ideò hæc qualitas illam diſpoſitionem producit: diſpoſitio autem ad formam miſti debita, nulla alia eſſe poteſt niſi miſtio, hac tamen ſervata differentia, quòd ſi forma miſti eſt perfecta miſtio debet eſſe perfecta, ſin vero imperfecta, miſtio quoque erit imperfecta, forma autem à qua maligna qualitas dimanat, imperfecta eſt & media tendens ad formas elementorum, atque ideo pro ſui generatione imperfectam miſtionem requirit, qualis in putredine reperitur. Qua de cauſa

causa si maligna qualitas debet generare dispositionẽ ad suæ formæ generationem, & hæc dispositio sit quædam mistio imperfecta qualis in re putrida invenitur, sequitur, quod maligna qualitas, ut introducat suam formam priús putrefaciet subiectum, ut disponat ad illam. De his omnibus in publicis lectionibus latè à me actum est, pro nunc hæc dicta sufficiant ad dicendorum intelligentiam.

Aliqua ex hac doctrina deducamus, primum sit quod dupliciter febris maligna veluti febris morbillorum potest generari. Primo ex corporis dispositione. Secundò per contagium, ex corporis dispositione fit, quando talis ob dispositionem subiecti fit putrefactio, quod reperiatur dispositio conveniens pro formæ malignæ generatione (liceat sic loqui) & tum temporis forma præexistente corrupta, generatur illa á qua dimanat maligna qualitas, inhæretque humori, & fit febris maligna. Per contagium autem generatur, hoc modo recipitur intra corpus qualitas maligna, hæc intendens producere suam formam humorem putrefacit, donec humoris forma corrupta suam introducit, á qua dimanat maligna qualitas, & tum tẽporis incipit febris esse maligna.

Secundó deducitur, quod omnis febtis maligna debet esse putrida, & cum morbillorum febris sit maligna necessario debet esse putrida, & non remisa quidem, & levi putridine, sed intensa & sordida, nam cum debeat corrumpi forma præexistens, & alia denuo generari, necessario concedenda est intensa & sordida putredo, qualis ad formam malignæ qualitatis participem generandam requiritur. Vnde mafestè detegitur error (sapientissimè Doctor) in tuo 1. tract. fol. 3. pag. 1. quando asseris in morbillis putredinem esse levem, & remissam.

Tertiò deducitur deceptos iri illos, ut Schẽchium, &

alios, qui variolas, & morbillos absque febre vidisse tes-
tantur, cum hoc secundum doctrinam tradditam sit im-
possibile. Hos tamen viros deceperunt aliquæ inflāma-
tiunculæ, similes variolis, & morbillis absque febre ulla
& malignitate prodeuntes. Veluti & nos iam vidimus
puncticulis violaceis totam cutem cuiusdam pueri ma-
culatā omnino similibus illis, quæ in lethali febre punc-
ticulari apparent, idque absque febre, & malignitate
ulla.

Schench. in obs. lib. 6. obs. cap. 12.

Quartó deducitur, quòd quando sanguis est iam cau-
sa coniuncta febris morbillorum, iam non habet for-
mam sanguinis, sed aliam formam mediam illi proxi-
mam, in quam degeneravit. Nam cum ad causandam
actualiter, & proximé talem febrē, debet inhærere san-
guini qualitas maligna, & hæc absque sua forma, à qua
dimanat, reperiri non possit, sequitur necessario iam
debere esse corruptam formam sanguinis, genitam ve-
ró eam quæ qualitatis malignæ est particeps, si tali hu-
mori qualitas maligna in hæret, & ex hoc manifesté se-
quitur non posse dari febrem hecticam verè, & proprié
pestilentem, & malignam, nam antequam talis quali-
tas cordi inhæreat, extinctus erit homo. Quid tamen ad
Gal. contrarium asserentem; dicendum sit alibi a me est
dictum, omitto modó, quia non est huius loci. Dicitur,
tamen hæc febris sanguinea, tum quia in illa invenitur
sanguis putridus sub forma sanguinis existens, actuali-
ter efficiens febrem commitantem malignam antequā
in quám tantam putredinem recipiat, ut corrumpi sit
necessarium: tùm etiam quia est causa antecedēs illius.

Vlterius tamen sciendum est, malignam istam mor-
billorum qualitatem distinctam esse ab alijs qualitati-
bus malignis, & ideo dictum fuit in diffinitione cū cer-
ta quadā malignitate, quæ talis est conditionis, ut ana-

logiam

logiam habeat cum ſanguine tenui ex eo, quód illius mistio facilè in mistionem formæ malignitatis participi convenientem trahi poſsit. Hanc veritatem oſtendunt multa experimenta, morbillorum enim facilis, & cita reſolutio nil aliud oſtendit niſi materiæ tenuitatē. Præterea quòd pueros potiſsimum invadat, quibus ſanguis ineſt tenuis, hoc etiam indicat. Denique quód in calidiſsimis, & frigidiſsimis regionibus hic morbus frequens non ſit id demonſtrat, nam in calidiſsimis ſanguis præuſtione craſceſcit, in frigidiſsimis verò præfrigiditate cōgelatur. Qua ratione AEtiopes dúm ſuam incolunt regiouem morbillis non afficiuntur ad noſtram tamen translati in hunc morbum facilé incidunt, in noſtra enim regione tenuiorem quàm in propria generant ſanguinem, qui paratus eſt malignitatem recipere. Non tamen inde putandum eſt, hanc qualitatem non poſſe inficere ſanguinem craſsiorem, benè enim poteſt, ſed quòd tenuiorem adoriatur facilius.

His omnibus dictis manent ſatis expoſitæ, & intellectæ particulæ illæ diffinitionis ſcilicet, á ſanguine putrido orta cum certa quadam malignitate.

Sed dicet aliquis ſi morbillus comitem habet malignitatem, quá ratione accidit aliquos adeó leves apparere morbillos, quòd nec veſtigium malignitatis obtineant.

Ad hoc reſpōdetur, quòd ſi iſti ſunt morbilli malignitatē habent; nō tamen ſe oſtēdunt ob parvitatē materiæ accidit enim interdū paucam quantitatē eſſe diſpoſitam paucamque inde putrefieri, quæ ratione parvæ quātitatis nō poteſt agere, neque maligna cauſare ſymptomata, veluti in ijs variolis accidit, quas vulgus locas appellat, quæ prima tranſacta febre percutim in parvo numero erumpunt nulla deinceps febre nulliſque accidētibus moleſtantibus.

 Sed

Sed inquiret aliquis, si hæc febris putrida & maligna est, qua ratione potest adeó breviter á natura vinci, quód in quarto die soleat salubriter terminari.

Huic dubitationi (erudite admodum Doctor) dum satisfacere conaris in tuo 1. tract. fol. 3. pag. 1. & 2. toto cœlo aberrare mihi videris. Asseris enim febrem morbillorum ab aumento incipere, qua propter cum careat principio, pauciora habet percurrenda tempora, quàm aliæ febres quæ principium etiã percurrunt, atque ideo cursum illam suum breviori tempore peracturam, est necessarium. Hæc doctrina á bona medicina est aliena, nã licet gratis tibi cõcedamus, quód humor efficiens morbillorum febrem, non sit omnino crudus, sed semi coctus, tempora quidem febris non incipiunt numerari à coctione, quæ humori inerat ante adventum febris, sed ab illa alteratione denuò adveniente, ob quam febris producitur, nam tempora quoad alterationem materiæ considerantur penes eam alterationem, quam vincere tenetur natura, hoc tamen est non quæ ante febrem reperiebatur, sed à qua febris dependet, qua ratione in morbillis tempora quoad alterationem non á coctione ante febrẽm habita, sed ab alteratione, ad quam febris sequitur, incipient numerari, & respectu illius datur principium aucmentum status, & declinatio, quando enim non dúm, aut obscurè vincit natura illam levem putredinem est principium. Veluti quando ex pure, aut ex alio humore cocto ad aliquam partem decumbente fit tumor, in hoc etiam adest principium quoad alterationem respectu alterationis, quam humor de novo suscepit in tumoris generatione. Vndè dogma perpetuæ veritatis manet, quòd omnes morbi salutares percurrũt quatuor tempora quoad alterationem materiæ, dummodo ab arte aliquibus non priventur.

Cæte-

Cæterum audiamus quæ circa hoc ſcribis in tuo 2. tract.fol.13.pag.1.ſcribis ergo, quód in febribus ex fervore productis nulla reperiuntur tempora quoad alteratione͂,quod libenter concedo. Subdis tamen in morbillis nõ eſſe tempora, quoad alterationem atque ideo illorum febrem, principio quoad alterationem carere, quod ſubſtinere nequeo,nam ſi morbillorum febris pe͂det tãtum ex fervore non ſolum caret principio quoad alterationem verum & reliquis temporibus, male ergo in 1.tract.dixiſti carere ſolum principio; etſi non caret aucmento ſtatu, & declinatione quoad alteratione͂, neque poterit carere principio, neque dependere ex fer vore ſanguinis,ut in 2.tract.affirmaſti.

Neque loca Gal.quæ adducis in 1.tract. fol.3.p.2. ad rem ſunt,nam in 8.meth.Galenus tantum docuit,quod in primis diebus interdum materia non eſt valdè putrida,ſed quod poſtea ulterius putreſcit, quod totum donec manifeſtetur victoria illius putridinis eſt principiũ quoad alterationem. Hoc autem non eſt incipere ab aucmento; neque locus ex 1. de criſ.alicuius eſt momenti, nam licet in primo die appareat coctio nõ incepit febris ab aucmento,ſed á putridine, quæ in prima die manifeſté fuit ſuperata á natura. *Galen. 8. meth.4.* *Gal.1. de criſ.16.*

Nos ergo ad dubium propoſitum reſpondemus ideo illam febre͂ breviter finiri primo propter malignæ qualitatis moderatam activitatem(ut communiter accidit) ob quod facilius ſuperari poteſt. Secundò ob ſanguinis febrem efficientis tenuitatem, illius enim ratione facile á natura, tùm ſuperari, túm coqui expelli, & reſolvi poteſt. Tertió, quia hac febre communiter afficiuntur pueri,quorum corpus reſolubile humorum reſolutione͂ non remoratur, & ex hac doctrina ſumitur ratio, cur adulti cum morbillis corripiuntur gravius ægrotant, &

tardius ab illis liberantur quam pueri, cuius causa est, quia in adultis sanguis est crassior, corpusque minus resolubile, atque ideo gravior redditur affectus, & tardius superatur.

Sequitur tandem indiffinitione ad quam sequuntur inflãmatiunculæ, &c. Terminatur hæc febris in quasdam minutas inflammatiunculas, quæ nunquã suppurãtur, quia cito resolvũtur, in quo morbillus á variola differt in hac, enim & tumor maior est, & suppuratur, si æger sanàndus sit, uttaque tamen ista inflammatio differt ab alijs parvis tumoribus, qui etiam cum febre prodeunt, & sunt veluti quædam vesiculæ aqua plenæ, & in circunferenria rubræ instar cristalli splendentes, qua ratione ab aliquibus cristalli ob similitudinẽ appellantur, ut refert Schẽchius, qui dùm exeunt variolas simulãt adeo, quòd sæpé Medicos deceperint, cæterùm malignitatem non habent veluti morbillus, & variola qua ratione inrer exanthemata maligna tãquam tertia alia species numerari non debent.

Schẽchius lib. 6. obs. 109.

Expellit autem natura morbillos ad cutim (liceat sic inflammatiunculas illas appellare) propter illorum malignitatem, humores enim malignos ad cutim tanquam ad partẽ ignobiliorem transmittere curat natura, atque ideo quævis ad cutim excretiones per febres non levẽ, præbent malignitatis suspicionem, illi verò humores ad cutim excreti venas illius replent, earumque ora apperientes, tumoris formam repræsentant, quod idem in variolis accidit immo cum maiori osculorum venarũ reclusione ob humoris, tum copiam, tum crassitudinẽ maiorem. Qua ratione accidit, quod scarificatis variolis fluxus sanguinis sæpé cõcitatur ob dictam venarum appertionem, veluti quãdo punguntur hæmorrhoides, qua de causa consulo, quando cucurbitulæ cũ scarificatione

tione adminiſtrantur, quod abſtineant chirurgi à variolarum ſcarificatione.

Et ex hac doctrina colligemus rationem. Quare ferè omnibus accidat variolis, & morbillis laborare, & cur etiam ſemel tantum id patiantur, raro autẽ bis, ter autẽ rariſsimè, aut nunquam. Corripiuntur ergo fere omnes prædictis affectibus potiſsimumque in pueritia, nam puerorum ſanguis cum habeat analogiam cum hac maligna qualitate facilè ab interna, aut ab externa cauſa concipit putredinem ad illam requiſitam, & huiuſmodi febrem accendit, quem ut exoneretur natura ad cutim expellit, ipſa quidem, & venarũ extremitatibus ob laxitatem promptè recipientibus, quæ diſpoſitio cum in natu maioribus, licet rarò, non impoſsibilis ſit, ideo etiam prædictis morbis afficiuntur. Cum ergo in omnibus ferè pueris, & in adultis aliquando ad hanc febrem diſpoſitio reperiatur ideó, ferè nullus hominum ab his morbis liberatur.

Semel tamen tantum maiori ex parte his morbis afficimur, nam præ nimia caliditate humoris variolas, & morbillos efficientis, adeò exſiccantur, & corrugantur venarũ extremitates, quod in poſterum ineptæ maneãt ad humoris receptionem, qua de cauſa licet ſimilis febris corripiat ſemel iam hoc morbo affectos, & natura tentet expellere, quia venæ non recipiunt, prædictæ inflammationes non fiunt, bis tamen repetunt aliquando iſti affectus, aut quia ipſi prima vice leves fuerunt & cutim nõ valde exſiccarunt, aut quia valde humidũ eſt ſubiectum, quia tamen bis cuti his morbis affecta, non poteſt manere in ea diſpoſitio ad recipiẽdum, aut quam rariſsimè, ideo hunc affectum ter repetere nunquam videmus, aut per quam raro.

Et ex dictis conſtat ratio propter quã ſemel ex ſiccatis voriolis,

variolis & morbilis licet eadem febris maligna maneat nunquam sit visum, iterum variolas, & morbillos extuberare, est enim ratio venarum osculorum siccitas, & adstrictio, ob quam venæ recipere non possunt, licet natura tentet expellere.

His suppositis circa naturam morbillorum. Secundò dicendum est, an in illorum eruptione (sumitur morbillus pro inflammatiuncula) fiat semper crisis perfecta, & integra, an verò sit symptomatica expulsio?

Pro quo dico primo; in morbillorum eruptione non fit semper crisis perfecta subita scilicet mutatio ad salutem, aliquaudo tamen eam fieri concedimus.

Hoc quidem est (sapientissimé Doctor) contra præcipuum tuæ sententiæ fundamentum, eo enim nititur, tua de prohibēda venæ sectione opinio. Nostræ autem sententiæ veritas, & tuæ falsitas ex multis constabunt. Primó, quia non semper in morbillorum apparitione fit perfecta crisis, immo non fit crisis multoties & sæpius, ut infra probabo ergo non semper fit crisis perfecta.

Secundò probatur, ut fiat crisis perfecta, tota debet subitò expelli materia morbifica, sed difficillimum est, quòd tota subitò semper expellatur, ergo difficillimum est, quòd semper fiat crisis perfecta, sed quod difficillimum est, non semper, sed raro contingit, ergo perfecta crisis non semper, sed raro accidit in morbillis; prima illa minor probatur: ut tota materia subito expellatur omnino, plura simul coniungi est necessarium, sed horū concursus difficillimus est, ergo & ómnimoda materiæ evacuatio est difficillima. Maior huius silogismi nota est in primis requiritur robur naturæ magnum, ut omnino posit expellere. Secundum morbi conditio omnino obediens, & inferior naturæ, in his duabus conditionibus videas, quanta fieri posit proportionis diversitas,

cur

cur enim necessarium est, quód eo ipso quod morbillus sit, necessario ita debeat esse adaptat⁹ humor, & proportionatus naturæ robori ut totus simul expelli posſit? nonné aliquoties, aut ratione minoris roboris naturæ, aut multitudinis humoris, aut inæqualitatis, aut viarũ, per quas expellitur ineptitudinis poterit expulsio fieri diminutè? Præterea requiritur exquisita humoris cōcoctio, sine qua à natura omnimodam fieri humoris excretionem, est imposſibile, semper ergo natura expectat exquisitam coctionem in morbillis ad expellēdum? numquam ante ipsam expellit veluti in alijs morbis? in quibus si unam invenimus criticam evacuationem integrã, millia milliũ symptomaticarũ, & imperfectarum observamus. Deinceps, quód prædicta expulsio indicetur in die contemplatòrio, & fiat in decretorio oportet, semper ergo hoc ita cōtingere est necessarium? Deinde evacuatio debet esse peccantis humoris, nunquam natura expellet aliquid utilis, ut aliquantulum debilitata excretionem non perficiat? debet tandem fieri evacuatio perconvenientem regionem, nunquam (interrogo) natura distrahitur, & alteram simul tentat evacuationē? quoties invenimus morbillis affectos alvi fluxu laborare? Videas (obsecro) & mente considera quot requirantur ad integram evacuationem, & invenies difficillimum esse, quod omnia simul coniungantur, ac per consequens difficillimum erit, quód fiat omnimoda humoris excretio, & saltim negare non poteris, facilius esse aliquod ex his deficere, quám quod omnia simul copulentur, & quia quod facilius est frequentius contingit, frequentius ideo accident symptomaticæ, & diminutæ excretiones quám criticæ & integræ.

Sed volo tibi gratis concedere, quód hæc omnia frequentisſimé coincidant, ut tamē certus sis de excretio-

nis integritate, non nè hoc signis sensui manifestis assequi debet? alioqui nō Medicum, sed Philosophum, aut logicum ages, ostende ergo ea mihi, ostendes in primis, quód omnia antea dicta simul reperiantur, coctionem humoris (interrogo) quod est signum potissimum ad bonitatem crisis dignoscendam, nè dicam integritatem, qua ratione cognoscis in pueris, in quibus urina Colligi nón potest? si hæc in illis cognosci non potest, nescio quo pacto certus sis de integritate crisis. Præter hæc alia signa propones ex consequentibus perfectā crisim. Primum erit, quod facies veluti sanorum habeat colorem, & quòd nō sit tumida, hoc signum propter morbillos obscuratur, ecce ex his nihil deprehendere potes. Accedat secundum, quod desumitur ex actionibus omnium facultatum ad naturalem statum iam reductis, ex hoc enim cognoscimus crisim fuisse perfectam, sed neque hoc signum tibi quidquam inserviet; nam manet febris (ut asseris) & reliqua accidentia, quæ ad illam consequuntur, ergo nulla ex hoc signo haberi potest de præcedentis crisis integritate certitudo. Sed neque tertio magis fidere pòtes ex excremētis desumpto hæc enim si ad naturalem statum sint reducta, veluti si urina cocta, & naturalis appareat corpus iam bene valere ostendunt; sin minus adhuc superesse materiam indicant. Qua de causa, cum tubercula in corpore nascuntur, ut comperiatur an aliquis humor in corpore maneat, vel totus sit ad extra propulsus, non aliunde quam ex
Hisp.2. excretis dignoscendum docet Hip. de illis autem, ut de
ep. 5.15. urina iudicare, qua ratione potes? si, ne dū eam inspicere licet in pueris parvis, quorum maior est pars ex ijs, qui morbillis afficiuntur. Ecce nullis signis certus fieri potes immo nec probabiliter opinari de crisis, & evacuationis integritate. Quibus ergo signis perductus de cri-

sis, &

ſis, & evacuationis completa perfectione affirmaré eſauſus?

Præterea ad oculum patet (egregie Doctor) quòd ſæpe ſæpius poſt morbillorum apparitionem in eadem intenſione febris perſeverat, ſi nou intenſior fiat, ergo non fit criſis perfecta.

Cæterum ad hoc argumentum audiamus ſolutionẽ ex tuo marte (ut aſſeris) depromptam, dicis enim in 1.tract.fol.8.pag.1.quòd febris, quæ ſequitur morbillorum eruptionem diverſa eſt, ab illa quæ eam antecedit, hæc enim putrida eſt, illa vero nõ niſi febris ſymptoma ex calore morbillorũ veluti eriſipelatoſam affectionẽ in cute excitantium orta, qua de cauſa (inquis) febris putrida integré fuit iudicata per omnimodam tranſmiſſionẽ humoris ad cutim, & reſpectu illius eſt criſis perfecta ſubita ſcilicet mutio ad ſalutem.

Sed quód hæc bené conſideremus, obſecro everſo enim hoc fundamento totum tuæ ſententiæ ædificium corruere arbitror. In primis, qui á cõmuni diſcedit ſententia, & novum dogma introducit, efficaci aliqua, & eleganti ratione id probare tenetur qua ergo ratione (Doctor illuſtris) probabis illam iam eſſe febrem ſymptoma? nullam adducis.

Probo Præterea huius tuæ dogmatis falſitatem ſi febris, quæ ſequitur morbillorum eruptionem eſſct febris ſymptoma, multo remiſior eſſet, quám quæ illam antecedit, ſed eſt æqualis, aut intenſior, ut concedis, ergo nõ eſt febris ſymptoma. Maior probatur, humor efficiens modo iſtam febrem ſymptoma eſt qui antea efficiebat putridam cum in venis exiſtebat, ergo non poteſt modo eiuſdem intenſionis febrem producere, ac antea in venis cxiſtens producebat. Antecedens conſtat, & conſequentia probatur, quãto humor proximior eſt cordi,

tanto intensiorem accendit febrem, & quanto remotior, tanto remissiorem, ergo idem humor positus in venis maximis iuxta cor, intensiorem multo febrē producet, quàm positus in cuti adeò à corde distante, ergo humor cum efficit morbillos non potest eiusdem intensionis producere febrem, ac cum in venis existebat, sed constat febrem esse æqualem, aut intensiorem ergo signum est, quòd non est febris symptoma producta ab humore morbillos efficiente.

Sed dices illam febrem produci ratione conturbationis. Contra nam conturbatio præcedit evacuationē, ergo non potest perseverare post evacuationem.

Præterea hoc idē probo diversæ febres diversa adducunt symptomata, & eædē eadē, sed istæ febres eadem afferunt symptomata, nā si ante morbillorum eruptionē æger delirabat postat delirare solet, si cibos ab horrebat, ab horret, si sitiebat, sitit, ergo eædem sunt.

Denique si ista febris symptoma á morbillis fieret, existentibus morbillis semper produceretur, sed interdum copiosis admodum, & ferventibus morbillis in cute eflorescentibus febrem cessasse experimur, ergo febris apparens post morbillorum eruptionem non producitur á morbillis.

Ecce, nulla sunt signa, nec causæ, quibus istæ febres distingui posint, quod cum considero, tuam maximam equidem admiror in febrium natura dignoscēda solertiam, & dexteritatem, quæ à mané ad vespere unam febrem ab altera nullis signis, nullisque notis diversitatē ostendentibus, discernere potest.

Probo præterea in omni morbillorum excretione crisim non fieri perfectam multoties morbillorum eruptio completur duobus, aut tribus diebus, ergo tùm temporis non fiet subita mutatio; antecedens experientia com-

cōprobatur, & consequentia est manifesta, nam mutatio, quæ fit in tribus diebus nō est subita, sed paulatina.

Ad hoc respondet sapientia tua (gravissimè Doctor) in 1.tract.fol.8.pag.2. quód ly subito duos, vel tres dies comprehendit, & probat exemplo aliarum crisiū, quæ ad hoc tempus extensæ adhuc sunt crises.

Hæc tamen solutio falsa est proculdubio, nam ly subito unius diei tempus non transcendit secundum mētem Galeni, nā ipse 3. prog. & 2. aph. crisim præcipitem mutationem appellat, qua ergo ratione præceps erit ad duos vel tres dies extensa? clarissimé tamen hoc docet 2. de diebus decretorijs, ubi de quinto die, & 9. asserit: *Subito enim, & universè hi iudicant, &c.* Ecce singulis diebus subitam mutationem, & iudicium tribuit, & subdit Gal. statim: *Quantò autem ulterius morbi excedunt, diuturnioresque fiunt perturbatio sanè, quæ præcipitem alterationem præcedit conquiescit, iudicia verò paulatim venientia duos, aut tres dies maxima ex parte occupant, &c.* Ecce Gal. iudicia paulatina duos, aut tres dies occupare docet, ergo sequitur, quod iudicatio subita unum tātum diem occupet; præterea si secundum Gal. doctrinam in hoc loco quanto morbus diuturnior est, tantò ad plures dies iudicatio extenditur, ergo quanto morbus est brevior, & acutior tāto ad pauciores extendetur, sed morbillus est morbus per acutus, ergo brevissimum tempus illius iudicatio occupabit, ac per consequens non poterit extendi ad duos, vel tres dies.

Galen. 3. prog. 1. 2. aph. 23

2. de diebus decre. tal. 5.

Gal. ibid.



Nec exemplum de alijs crisibus ad rem est, nā quando in alijs morbis plures dies occupant iudicia, nō erunt crises, sed paulatinæ solutiones.

Nec contra nos est Gal. in eodem cap. dicens: *Contingit autem morbis inveterascentibus, & iudicia vehementiam perturbationis, & alterationis brevitatem, remittere, & ad duos dies,*

dies, vel tres extendi. Promptũ eſt igitur in hoc criſim, cuicumq; ex tribus diebus volueris, attribuere, &c. Hic inquam textus non eſt contra noſtram doctrinam, nam de paulatinis iudicijs intelligendus eſt, ut ſupra in loco à nobis citato conſtat ly autem criſim in præſenti non in rigore, ſed laxè aſſumit prout paulatinas mutationes, etiam comprehendit veluti, & in his libris, & in lib. de criſ. aliàs aſſumpſit Gal.

Probo id etiam ulterius morbilli apparent primo, & ſecundo die, ſed tum temporis non eſt coctio perfecta, nam iſte morbus terminatur in 4. & in illo die habet ſtatum coctionis, ergo in 1. & 2. die non poteſt fieri excretio critica, ſed ſimptomatica.

Quòd tamen hæc criſis perfecta aliquando contigat (quod erat ſecunda pars illius, quod primo diximus) meo iudicio dubium non habet, nam licet omnia requiſita coniungi, difficillimum ſit, non tamen eſt impoſsibile. Præterquam quód hoc idem experientia nos docuit, à me enim, & ab omnibus obſervatum iam eſt, vehemẽtẽ morbillorũ febrẽ poſt illorum exitum ſubitò ceſſaſſe.

Dico 2. in morbillorum eruptione ſæpe fit excretio critica imperfecta, ſæpe etiam, & ſymptomatica. Hoc dictum habet duas partes in prima dico, quod ſæpe fit criſis imperfecta, ſubita ſcilicet mutatio ad melius, & paulatina ad ſalutem, quod quidem multoties accidere exprimur, nam poſt morbillorum exitum ſubito remittitur febris, ipſius poſteà reliquijs paulatim deſinentibus.

In ſecunda parte aſſero iſtam morbillorum excretionem eſſe ſymptomaticam ſæpe; ſed quia deſideras authores hoc eſſerentes, & unum tantum ſufficere promitis, ut mutes ſententiam, dixiſti enim in 2. tract. fol. 5. pag. 2. *Que por uno ſolo que lo diga yo quiero ſangrar con ellos.*

Audias

Audias præter alios ab alijs citos Marcum Cornaccinũ in adnotatione ad tabulam 69. *Ex hac eadem tabella, patet Medicos errare vulgares, quippe qui cum exanthemata inciperunt apparere, a missione sangusnis, vel purgatione suadent abstinere, quasi decretorie, & perfectè semper excernantur, &c.* Ecce si non semper decretorie excernuntur, ergo symptomatice, Audias etiam Holerium lib. 2. de febribus curandis proprio cap. *Criticæ sunt interdum huiusmodi papulæ, &c.* Ergo interdum non sunt criticæ, sed symptomaticæ. Audias quoque Ioannem Hucherium in lib. de diæta puerorũ: *Quoad eos qui iam emicant, sive critici sint, sivè simptomatici, &c.* Ecce qui manifesté dicũt authores morbillos esse symptomaticos, & certe si promissis stãdum est, iam sententiã mutare teneris; & in universum hoc deinceps probatur, nã Avicena in loco citato, Herculanus, & alij adducunt signa morbilli læthalis, hunc tamen necessario symptomaticè erumpere certum est, ergo iam datur excretio morbillorum symptomatica.

Verum & in benignioribus morbillis, sæpe fieri excretionem symptomaticè deinceps probabo, advertendo prius. Multis modis posse apparere morbillos symptomaticè; supponendo, eos omnes convenire in hoc, quód absque coctione, & in tempore eruditatis fiant, hoc enim est symptomatice accidere. Primus autem modus, quo morbilli symptomatice apparent, est criticé ad malum, quando nimirum, præcedente conturbatione, & morbillorum excretione fit subita mutatio ad peius, febre quidem, & reliquis accidentibus multo intensioribus factis, aut alijs deterioribus denuò advenientibus, in quo casu apparitio morbillorum est symptomatica, quia in tempore cruditatis critica tamen ad malum, quia præcessit conturbatio & sequuta est subita mutatio ad peius.

Huius

Huius casus possibilitatem negare non possumus, nam propter multitudinem humoris, aut maligniorem conditionẽ, aut ob viarum, per quas humor debet expelli, angustias, eo conatu cogitur expellere natura, quód vehementer moveat, & conturbet humores, non modò ad cutim, verum ad interiora eos membra transmittens, ex quo subitam mutationem ad peius fieri, est necessarium. An veró etiam possit fieri subita mutatio critica ad mortem? posset quis dubitare, ego quidẽ huiusmodi crisim non dum vidi, illius tamen possibilitatem non nego.

Secundus modus, quo morbilli symptomaticè erumpunt, est absque crisi, quando scilicet præcedente conturbatione, & excretione nulla sequitur in febre mutatio, sed in eadem manet intensione, nam quamvis detur conturbatio, & certamen naturæ, & sequatur excretio, si non fiat subita mutatio, non datur crisis, docet id Gal.1.de cris. per hæc verba; *Contingit autem neque in primis accidentibus, quæ tantum sunt signa crisis* (hæc sunt accidentia conturbationis) *neque in secundis, quæ & signorum, & causarum vim habent* (hæc sunt evacuationes, & abscessus) *crisim ex necessitate sequi, &c.* Et in hoc sensu est intelligendus Hip.2. de morbis vulgaribus dicens: *Decretoria, quæ non decernunt, quædam læthalia sunt, quædam difficultet decernunt.* Hoc est, quando apparent signa decretoria, seu critica, & non decernunt, id est, non decernunt od bonũ, quædã læthalia sunt, ea scilicet, quæ decernunt ad malum, quædam difficultet decernunt, ea nimirũ, ad quæ nulla sequitur crisis neque ad bonum, neque ad malũ quod est ad sensum traditæ doctrinæ.

Gal.1. de cris.14.

Hip.2. de morb. vulgat. sect.1

Huius tamen modi excretionis causam esse arbitror abundantiam, & vitium humoris, quorum ratione cum á natura ad excretionem movetur, aliqua illius portio

de

de novo accenditur, ita quód quantum ratione excretionis humoris febris remitti debebat, tantum illi ob novum accensum humorem addatur, manente hoc modo febre in eadem proportione. Hoc autē prædicto modo de facto contingere, quám pluribus eventibus suadet experientia.

Tertius modus quo morbilli symptomaticé apparēt, est, quando post illorum apparitionem fit subita, mutatio ad peius absque crisi, solet enim (non præcedente autem conturbatione) cum natura excrevit, intensius calefieri humor ob motum, & inde intensiorem febrem produci, est necessariū, qui modus excretionis cōmunissimus est. Quòd autē posit fieri subita mutatio absque crisi infráprobabo.

Dico tertio in morbillorum apparitione, sæpe fit excretio, neque criticè, neque symptomaticè, hic autem casus potest fieri duobus modis. Primo facta subita mutatione ad melius. Secundò facto paulatino motu ad salutē. Primó modo sic accidit, quando est concocta materia, & non præcedente conturbatione subitò eam expellit natura fit subita mutatio ad melius, vel ad salutē, absque crisi: non est quidem hæc excretio symptomatica, quia facta fuit post coctionem: non est critica, quia quamvis sequuta fuit subita mutario, non tamen præcesit conturbatio, & certamen naturæ cum morbo, sine quo crisis non fit docente Gal. 3. de cris. contingit ergo, naturam interdum materiam expellere; non tamen ob minorem irritationem certāre, & pugnare unde fit subita excretio, & mutatio absque cōturbatione, & hic modus communis est, & à nobis frequenter expertus itaq; absque crisi accidit subita mutatio, aut ad salutem, aut ad melius, advertendo tamen quod in morbillis graviotibus, & vehementioribus hæc subita mutatio ad salutem

Gal. 3. de cris. 7. 9.

tem

tē fieri nō poteſt abſq; criſi benè tamen in levioribus, nam magna eſt in illis humoris copia quam omnino à natura ſubitó expelli non magno adhibito conatu, eſt impoſsibile, ad conatum tamen illum conturbationem ſequi, eſt neceſſarium, cum veró ad paucioris materiæ expulſionē minor ſufficiat conatus, ideo ad illius omnimodam excretionem nōn eſt neceſſarium, quòd præcedat conturbatio, & de his morbis vehementibus eſt intelligendus Gal. 3. de criſ. quando dicebat: *Nemo ſiquidem ſubito morbum evaſit ſine criſi, multi verò, ſine hac ſubito interemit, &c.* Nam in levioribus morbis, talis mutatio ſubita ad ſalutem bene accidit, ſine criſ. & ſecundum hāc doctrinam deſumemus regulam ad diſcernendas evacuationes, quæ fiunt tentāte natura criſim ab illis, quæ aliter accidunt, nam in illis cum evacuationem conturbatio præcedat, taliſq; evacuatio à natura certante oritur, eas dignoſcemus in eo quod conturbationē ſequuntur: in his verò, cum fiant non iudicationis ratione conturbatio non præcedit. Quo modo cōmuniter eveniunt evacuationes in ægrotātibus, ſudores enim alvi fluxus, profluvium ſanguinis, & alia, quæ communiter apud ægrotantes quotidie videmus, non ſunt criticæ evacuationes. Hoc autem ad mentem eſt Gal. in 1. protih. dicentis: *Sudor verò tanquam ſymptoma, & non iudicatorius, aut redundantiā, aut retētricis facultatis imbecillitatem indicat, &c.* Et in text. 30. ſequente eādem doctrinam in univerſum tradit & in text. 64. de alvi fluxu idem fatetur aſſerens: *Contingitque ægrum copioſe fluente alvo, pernicioſe habere, non iudicationis ſcilicet ratione natura contriſtantes humores deorſum excernente, ſed propter facultatis, quæ in hepate eſt, imbecillitatem, &c.* Et ex hac doctrina colligemus, quando evacuationes diminutæ, aut ſunt pravæ, & læthales, aut nō; nam quando cōtingunt per modum iudicationis, & natura,

Gal. 3. de criſ. 9.

Text. 30. eiuſdē lib.

text. 64. eiuſdē lib.

tura certante,& tētante crisim deterrimæ sunt, naturam enim morbo sucumbi, demonstrant, iuxta doctrinam habitam 2.epid.decretoria non decernentia,&c.Et in hoc sensu intelligantur Hip.& Gal.1.protih.quando stillam sanguinis tantopere damnant, & quando in eodem 1. protih.omnes evacuationes diminutas vituperant. At, cum diminutæ evacuationes accidunt non per modum iudicationis, nullum malum præter irritationem aliquam, aut multitudinem, aut imbecillitatem indicant, non enim ostenditur, naturam totis suis viribus tentasse evacuationem,& nō posse eam perficere. Qua ratione quotidie apud ægrotantes stillam sanguinis, aut aliā diminutam evacuationem conspicimus, sine periculo tantopere à veteribus celebrato, sciendum tamen est, quòd ista subita mutatio ad melius, quam neque criticam, neque symptomaticam esse diximus, potest esse etiam symptomatica, natura enim aliquā humoris portionem citra coctionem, & non præcedente conturbatione ad cutim transmittens, talis mutationis est causa.

Hip. 2. epic.sect.1.

Hip. & Gal.1.protih. 1. & 1. protih. comm. 2. text. 49.

Secundus autem modus, quo morbilli neque critice, neque symptomaticè erumpunt, erat, nisallor, paulatinus motus ad salutem, qui modus etiam frequentissimus est, experimur enim apparitionem morbillorū non subito fieri multoties, sed paulatim per duos tres, aut quatuor dies, paulatimque inde etiam in eodem dierū numero febrem remitti. Qui modus accidit, cum natura non sufficienter irritatur ad subito expellendum, ob levitatem affectus, aut si irritatur, ob aliquod impedimentum subito non expellit. Ista tamen paulatina excretio, aut fit absque coctione, & erit symptomatica, aut fit præcedente coctione, & non symptomatica, sed bona evacuatio erit. Et denique aut iste paulatinus motus fit præcedente conturbatione, & accidet per modū

 iudica-

iudicationis veluti quædam diminuta evacuatio, aut fit sine tali conturbatione, & non accidit ratione iudicij, sed tanquam paulatina quædam solutio morbi.

Sed dices (eruditissimé Doctor) si morbilli sæpé erũpunt symptomaticé, qua ratione omnes liberantur, siquidẽ omnes evacuationes symptomaticæ pravæ sunt.

Ad hoc respondeo, non omnes liberari á morbillis, dantur enim morbilli læthales, á quibus ægri non solẽt liberari. Avicena enim herculanus, & alij adducũt signa morbilli læthalis, quod si nullus læthalis datur, delirant quidem isti authores, cum illius signa afferunt, & ex benignioribus, aliqui in mortẽ devenięt si malè tractentur, aut febrem, aut aliud accidens imposterum curã dum relinquent. Et licet omnes liberentur non implicat, quòd illa expulsio sit symptomatica, nã in hoc morbo propter tenuitatem materiæ facile eam superat natura, potisimum cum ex onerata manet post alicuius materiæ excretionem ad cutim. Omitto hic doctrinas generales, de evacuationibus symptomaticis, an semper malæ sint sufficiat scire, quòd tanquam causæ possunt esse bonæ & prodesse.

Sed inquires quibus signis cognosces excretionem istam esse symptomaticam.

Respondeo, quòd in quibus urina inspici potest ex eo, quód illa non sit cocta. Secundo ex tempore, in quo fit excretio, nã si fiat in primo, & secundo die erit symptomatica, cum tum temporis non posit esse cocta materia. Tertiò ex eo, quòd non remittitur febris, nam licet posit remitti cum tamen non remittitur, symptomatica est. Quartò ex eo, quód dum fit cum gravibus accidit symptomatibus.

Ex his omnibus constat, quot modis erumpant morbilli, & ideo authores de illis agentes non asserunt in

illorum

illorum excretione fieri crisim; sed exire morbillos per modum crisis, ut ostendant non semper esse crisim, sed interdum esse quid simile crisi.

His iam suppositis ad difficultatē respondeo aliquibus conclusionibus, quarum prima est. Apparentibus morbillis, si morbus sit integre iudicatus, aut integre iudicandum speramus, sanguis mittendus non est.

Hæc conclusio ab omnibus admittitur, & est iuxta celebrem sententiam Hip. 1. aph. habitam: *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, &c.* Qui iudicatus fuerit morbillus facilè dignoscetur, febris enim, & reliqua accidentia iam soluta erunt. Qui adhuc in iudicio existit, difficilius cognoscetur, quòd integré sit iudicandus. Assequetur id tamen ex eo, quód pro redundantis humoris ratione sufficienter sit evacuatum, quòd iudicium fiat in die critico, antea iam indicatū, quòd præcedat coctio, & quòd incepta excretione melius se habeat æger, & omnia remittātur. Hæc omnia nos docent integrum foré iudicium, quare totum negocium naturæ committemus, illius motum tantum adiuvando. 1. aph. 20.

Sit secunda cōclusio erūpentibus morbillis si nō integré excrevit natura, aut iudicamus non integrè expulsuram, sanguis mittendus est.

Prima pars conclusionis videlicet, quód si natura nō excrevit integrè, sanguis mittatur ab omnibus conceditur, & á te etiam (gravissimé Doctor) in 1. tract. fol. 10. pag. 2. nos enim id, in quo natura defecit, perficere debemus.

In secunda autem parte conclusionis tota consistit difficultas, & in primis, quód defacto possit non omnino expelli materia morbifica, á te etiam (gravissimè Doctor) conceditur in tract. 2. fol. 10. pag. 2. difficultas tamen est, in cognoscendo, dum actu expellit natura, quòd

quòd non expellet omnino, quod dicemus, ante huius articuli probationem. Assequemur igitur hoc in quibus urina reservari potest, ex illius eruditate, & in omnibus expulsu, & respiratione, & ex accidentibus plenitudinē tam eam, quæ ad vasa, quam, quæ ad vires refertur, ostendentibus, & ex alijs, quæ evacuationem symptomaticam indicare supra diximus. Inter omnia tamen præstantius signum, ex febre, & ex accidentibus eam consequentibus, desumitur, perseverantibus enim febre, & accidentibus iudicabimus non integré expulsuram ex eo, quod excretio est symptomatica, adsitq; plenitudo; & quia novum continuò accendi humorem ob motum expulsionis, indicatur. Quó fit, quòd febre, & accidentibus post morbillorum apparitionem adhuc persistentibus, naturam non integrè expulsuram merito iudicabimus.

Ista conclusio est ad mentem Hip. & Gal. 2. aph. 15. ubi fauces ægrotāt, &c. Nulla enim alia ratione iubent evacuationem fieri, nisi quando totus humor non est expulsus, nec videtur expellendus.

Hoc supposito istam præterea conclusionis partem probo, dum erumpunt morbilli, non est vena secanda; ergo neque antequam erumpant: consequentia probatur duabus rationibus: prima est. Crisis perfecta, dum parata est fieri, nullomodo est impedienda, sed facta venæ sectione ante morbillorum eruptionem, impeditur crisis fieri parata, ergo non est exercenda, maior est nota, & minor probatur, per venæ sectionem movet humores natura per te ab exterioribus ad interiora, ergo per venæ sectionem divertetur à motu ad exteriora, ergo impedietur motus ad exteriora, ergo quando accedis ad ægros, eo ipso, quód cognoscas, morbillos esse, teneris à venæ sectione abstinere, etiam si non dum apparuerint mor-

morbilli, hoc autem quam falsum, & ridiculum sit, considera.

Secunda ratio, qua probo, ante eruptionem non esse mittendum sanguinem, est, hi morbilli, in quibus mittis sanguinem, si naturæ relinquantur integrè á natura iudicabũtur, nam natura suo iuri relicta expellet, & eo ipso, quód expellat, integré expellet, ergo superfluum est sanguinem mittere ante illorum apparitionem, & sic gradatim deveniemus ad hoc, quód nec medici sunt necessarij ad morbillos, immo & quod frustra de illis tractarunt authores.

Secundò sic probo conclusionem, datur indicans sanguinis missionis cũ morbilli erũpunt, ergo potest mitti sanguis, cum iudicamus excretionem non fore integrã. Antecedẽs probo, datur plenitudo, aut quoad vasa, aut quoad vires, ergo datur indicãs. Quód detur plenitudo ad vasa (quã negas clarissime Doctor, cũ primo erũpere incipiunt morbilli) sic probo, incidat in morbillum aliquis cum plenitudine ad vasa; hæc potest perseverare adhuc in ipsa apparitione morbillorum, ergo sanguis mittendus est, consequentia legitima est, nam sapientia tua cõcedit, quód si talis plenitudo reperirietur, sanguis posset mitti, maior nota est. Minor verò probatur, si plenitudo quoad vasa non potest permanere erumpentibus iam morbillis, maximé ob duas rationes. Prima, quia humor morbillos efficiens tenuis est, atque ideo, cum morbilli apparent, iam resoluta est ea quantitas, quæ plenitudinem constituebat, hanc rationem adducis in 2. tract. fol. 9 pag. 2. Secunda ratio est, quia morbillus fit ex sanguine bilioso, ex quo fieri plenitudo, quoad vasa non potest, istam rationem adducis in 2. tract. fol. 10. pag. 1. sed utraque ista ratio non valet, ergo sanguis mitti potest: minorem probo quoad partem,

 quód

quòd posSit reperiri plenitudo ad vasa, plenitudo ad vasa, quæ erat ante eruptionem morbillorum, potest perseverare, ergo minor probatur quantum de sanguine resolvitur tãtum ille ratione liquefactionis à febre factæ augetur, cum nõ sit ratio ob quam hoc fieri non posSit, ergo si crescit sanguis ratione liquefactionis, quantum ratione resolutionis minuitur, in eádem proportione manebit illius quantitas, & dabitur plenitudo.

Præterea hoc idem sic probo, supponamus in Petro per duos, aut tres dies febris posse resolvi unam libram sanguinis, & supponamus istum incidere in hunc morbum cum plenitudine ad vasa ut duo, hoc enim suppositum non implicat, in hoc post tres dies, cum erumpũt morbilli, erit plenitudo ad vasa, ut unum, ergo dari potest ista plenitudo.

Vlterius hoc idem probo, incidat ægrotus in hunc motbum cum magna plenitudine, cui quidem incipiãt erumpere morbilli in secundo die, ut sæpe accidit, in hoc casu incredibile est, quòd in unico die tanta sanguinis copia resolvatur, ergo reperiri potest plenitudo quoad vasa.

Denique in hunc modum hanc veritatem probo, erumpentibus morbillis potest dari plenitudo quo ad vires per te, ergo potest etiam dari plenitudo quo ad vasa. Consequentiam probo, non potuit vi febris resolvi quantitas sanguinis efficientis plenitudinem quo ad vires, igitur non poterit etiam resolvi quãtitas illius efficientis plenitudinem quo ad vasa.

Deinceps pro hac eàdem parte sic arguo, post motum eruptionis morbillorum, solet manere intra venas humor putridus, qui non potuit expelli, ut conceditur à te (egregie ad modum Doctor) in 2. tract. fol. 10. pag. 2. interrogo, iste humor, aut nõ potuit expelli, ob plenitudinem

dinem quoad vires, aut ob plenitudinem quoad vasa? non ratione plenitudinis quoad vires, nam ad hanc tollendam sufficere, asseris frictiones, & cucurbitulas, & cum in hoc casu non sufecerint, signum est, quód ob plenitudinem, quoad vasa non potuit humor omnino expelli, igitur potest dari hæc plenitudo.

Præterea sic insurgo pro hac parte si morbilli fierent ex sanguine crasso, posset quidem illis erumpentibus reperiri plenitudo quoad vasa, sed morbillus fit etiam ex sanguine crasso, ergo, &c. Maior est secundum fundamentum á te traditum, & minor probatur, dantur morbilli scirrhodes qui fiunt ex sanguine crasso, & melācholico, ergo dantur morbilli facti ex sanguine crasso, antecedens á te negari non potest, tua enim verba continet asseris enim in 1. tract. fol. 8. pag. 1. *E visto sarampiones scirrhodes, &c.* Et pariter nō potest negari consequentia, nam morbilli scirrhodes necessário, fiunt ex sanguine crasso, igitur in his poterit perseverare plenitudo quoad vasa, ac per consequens poterit mitti sanguis.

Tandem hoc idem probo in adultis, & natu grandioribus potest perseverare plenitudo quoad vasa: ergo saltem in illis potest mitti sanguis. Antecedens probatur adulti habent sanguinē crassum, ergo in illis non resolvetur sanguis veluti in pueris igitur velis, nolis debes concedere, quod in his posit perseverare plenitudo quoad vasa.

Nec secunda ratio á te adducta, propter quam non potest reperiri plenitudo quoad vasa, vera est, inquis enim, ex sanguine bilioso non fieri plenitudinem, hoc enim est contra omnium medicorum sententiam, nam licet plenitudo simpliciter fiat, ex omnibus humoribus, aut ex solo sanguine plenitudo tamen secundum quid fit ex sanguine, & alio humore abundantibus, unde da-

tur plenitudo biliosa, pituitosa, & melancholica, doctrina est Gal. in lib. de plenitudine. Qua ratione in morbillis benè potest reperiri plenitudo quoad vasa biliosa.

Galen. in lib. de plenitu. ulti.

Quòd tamen erumpentibus morbillis reperiatur plenitudo quoad vires, non est, cur probemus, siquidem à te conceditur, in 2. eract. fol. 9. pag. 2. quòd tamen hæc plenitudo ad vires sufficiat, ut sanguis mittatur, probare oportet.

Hoc autem sic probo primo plenitudo quoad vires citius tollenda est, quam plenitudo quoad vasa, nam ex illa, plusquam ex hac periculi impendet communiter, ergo si in plenitudine quoad vasa mittitur sanguis, ergo & in plenitudine quoad vires.

Secundo hoc idem probo, cū expellit natura, si adsit plenitudo quoad vires respectu expultricis facultatis, non poterit expellere integrè, ergo ut expellat, debemus eam exonerare, facta sanguinis missione.

Sed respondebis (gravissimè Doctor) naturam debere exonerari in hoc casu per frictiones, & cucurbitulas, quæ tuta, & secura sunt remedia.

Sed contra sic argumētor detur magna plenitudo ad vires hæc indicat magnum remedium, ergo non potest indicare cucurbitulas, & frictiones, quæ sūt parva remedia, sed sanguinis missionē, quæ est remedium magnū.

Sed ad hæc omnia dices fortè (sapiētissimè Doctor) te concendere dari indicans venæ sectionis, cæterum reperiri etiā prohibens, & hac ratione non debere exerceri, sed quia nullo alio modo melius probabitur, nullum reperiri prohibens, quam diluendo ea, quæ tanquam prohibentia obijcis, ideo ad eorum solutionem iam propero.

Obijcis primo (gravissimè Doctor) per venæ sectionem

nem movetur sanguis ab exterioribus partibus ad interiores, ut constat ex Gal. 4. de sanitate tuend. ergo erumpentibus morbillis exercenda non est. Cõsequentia probatur, erumpentibus morbillis movetur sanguis ab interioribus ad exteriora, ergo venæ sectio impedit istum motum, siquidem causat motum contrarium, ergo exercenda non est. *Gal. 4. de sani. tuen. 10.*

Hoc argumentum petit duas difficultates. Prima est, an sanguis extra venas expulsus posit iterum ad illas regredi? Secunda est, an per venæ sectionẽ sanguis moveatur ab interioribus ad exteriora, aut èc ontra? Circa primam difficultatem nollo immorari, sed breviter dico, talem regressum posibilem esse. Circa secundam dico primo, quòd respectu partis, in qua vena secatur, movetur sanguis ab interioribus ad exteriora, siquidem sanguis situs in alto corpore ad partem externã, in qua vena secatur, movetur. Dico secundo. Respectu totius circunferentiæ corporis, præter partem, in qua vena secatur, sanguis per venæ sectionẽ debet moveri vi illius ab exterioribus ad interiora, intelligendo per interiora venas maiores, hoc autem accidit dupliciter. Primo dũ fit sanguinis misio. Secũdò postquam facta est, dum fit venæ sectio, movetur sanguis ad interiores venas hoc modo, venæ exteriores sanguinem versus sectam venã expellunt, ad quam, ut perveniatur, cum debeat fieri transitus per venas interiores, ideo externæ venæ, cum ad venam sectam mittere sanguinem conantur, prius illum ad interiores transmittunt. Postquam tamen facta est sanguinis misio, movetur sanguis ab exterioribus ad interiora, attractus quidem ab interioribus, nam venæ internæ inanitæ trahunt ab exterioribus venis. Hic tamen motus sanguinis licet vi venæ sectionis prædicto modo fieri debeat, impeditur, tamen ob aliquas

 causas.

causas. Primò quando adest plenitudo quoad vasa, in hac enim neque dum fit venæ sectio, neque postquam facta est, sanguis ab exterioribus ad interiora movetur: non, dum fit, nam licet partes externæ expellant, internæ tamē venæ, quia plenæ, non recipiunt: non, postquā facta est, nam cùm in plenitudine post venam sectam sufficiēs pro nutritione detur sanguinis copia, venæ internæ sanguinem aliunde trahere nō compelluntur. Secundó impeditur etiam iste motus sanguinis aliqua ex parte, cum sangnis in ea proportione reperiatur, quód licet multus non sit, pro alendo tamen corpore sufficiens existit, & in hoc casu movetur sanguis ad interiora, dum vena secatur, quia venæ externæ expellunt, & internæ recipiunt, eo quód plenæ non sunt: post venæ sectionem tamen sanguinis iste motus ad interiora non datur, nam licet sanguis multus non sit, est autem sufficiens pronutiendo corpore. Ad argumentū ergo respondetur, quòd cum adest plenitudo, non movetur sanguis ad interiora ut dictum est. Si verò hæc non adsit, ad est tamen sufficiens sanguinis copia, ob quam licet, dum fit venæ sectio, moveatur sanguis ad interiora, post venam tamen sectam uon movetur, itaque tantum impeditur motus sanguinis ad exteriora, dum vena secatur, & maior est utilitas, quæ sequitur ex eo, quòd exonerata natura, quòd reliquum est, fortius in posterum expellat, quam noxa ex illa levi brevique sanguinis retractione.

Secundó obijcis, per sanguinis misionem intendimus, quód natura expellat, ergo si iam expellit, non est cur fiat venæ sectio.

Ad hoc respondetur, quód per venæ sectionem curamus, quód natura expellat completé, atque ideo, cum suspicamur excretionem fore incompletam, mittimus sanguinem, ut levata natura, excretionem compleat.

Tertio

Tertiò obijcis nullus moritur ex morbillis, ergo non est, cur acceleremus venæ sectionem, sed securius erit expectare, quousque motus ad exteriorà cesset.

Ad hoc respondetur ex morbillis etiam aliquos mori, ut constat ex Avic. Mamard. vidio vidio Mercuriali, & alijs, alioqui enim non afferrent signa morbilli læthalis, ut supradictum est, atque ideo cum oportet, non est differenda venæ sectio, ne corrumpatur sanguis, & aut interest æger, aut affectus difficillis, & longæ curationis reddatur. Audias obsecro, de hoc tuum ammantissimum Mercatum in proprio cap. inquit enim: *Cuius corruptio, si postquam incæpit á medio recedere, & á naturæ beneficio, & correctione deviare, diu in corpore vagari permittatur, ingentis corruptionis, ac sæpe mortis est causa, &c.* Mercatus c. proprio.

Obijcis quarto licet sit diminuta evacuatio non est adiuvanda, donec cesset, ergo dum exeunt morbilli non est exercenda aliqua evacuatio: antecedens probas ex Gal. 9. Menh. 5. in text. *Itaque si tempore mittendi sanguinem, &c.* Galen. 9. Menh. 5.

Ad hoc respondetur, quod non debemus expectare, ut motus sedetur ad adiuvendum illum per se, aut per accidens, sed sufficit, quod iudicemus non fore completum, & locus Gal. á te adductus, tantum abest, quod tuã probat sententiam, quòd potius nostram confirmet, nã asserit, quod si fluente sanguine iudicaverimus fore sufficientem illam evacuationem, nihil agamus, sin vero, quòd fiat sanguinis extractio taliter, quod ex utraque evacuatione, quod expostulamus, compleatur, nam si hic Galenus doceret, quod antequam vena secetur, finita iam sit sanguinis evacuatio, non dixisset, satis fore videbitur, sed satis fuisse videatur.

Sit tertia conclusio, cum dubitamus de integritate

expulsionis, & de necessitate venæ sectionis, sanguis mittendus est, iam apparentibus morbillis, hæc conclusio probatur maior sequitur noxa ex omissione venæ sectionis cum necessaria est, quam ex illius administratione, cum illa non est opus, ergo in casu dubitationis, melius ac tutius est illam exercere. Antecedens probo, ex omissione necessariæ venæ sectionis plura sequuntur nocumenta, manet enim febris curanda post morbillorum evanescentiam, vires sunt debiles non substinentes evacuationes, & tumores maligni solent generari, ex quibus omnibus, aut mors, aut longus morbus expectari potest. At verò cum administratur citra necessitatẽ nullum affert nocumentum, sed potius utilis est sufficiente sanguinis copia existentente, nam facilius expellet natura, & tutior reddetur morbus, pro hoc autem, quod diximus de utili, & non necessaria venæ sectione est sciendum, dari venæ sectionem, necessariam, & utilem. Necessaria est, quando sanguis est supra vires naturæ adeo, quod non possit ab illa superiari: utilis est quando causa est inferior naturæ, cæterum ut facilius & securius natura superet, conducit venæ sectio, & in hoc casu licet venæ sectio non sit necessaria, erit tamen utilis, atque ideo nullum est inconveniens, quod exerceatur. Et secundum hanc doctrinam intelligendus est difficilis Avicenæ locus in fen. 4.1. capit. 20. ubi asserit:

Avic. 4. 1. c. 20. *Non nunquam etiam in ipsis febribus fit venæ sectio, licet ea opus non sit, &c.* Qui locus difficilis apparet, nam si fit venæ sectio, quomodo non est necessaria? et si non est necessaria quomodo fit? & secundum traditam doctrinam, facile exponitur, nam sæpe in febribus fit venæ sectio non propter necessitatem, quia sine illa posset natura superare causam morbificam, sed ob utilitatem administra-

niſtratur, quia ea adminiſtrata, citius, & ſecurius ſuperabit natura, & hoc mo lo manet verum, quòd non nunquam fit venæ ſectio, quia utilis eſt, quamvis non ſit neceſſaria.

His pacato animo conſideratis, á tua te (doctiſsimè Doctor) diſcedere ſententia non dubito, inter ſapientes enim merito numeraris, quorum proprium eſt mutare conſilium, vale.

LAVS DEO.



